

**ICONES SELECTÆ**  
**HYMENOMYCETUM**  
**NONDUM DELINEATORUM.**

X.  
*Index 1-X.*

ICOMES SELECTA

HYMENOMYCELIUM

MORONUM DELINEATORUM.

## CCXXV. AGARICUS PRUNULOIDES Fr.

*Syst. Myc. I. p. 198. Monogr. I. p. 269. Epicr. ed. 2. p. 189.*

*Diagn.* Entoloma pileo carnosio, e campanulato expanso, umbonato, lævi, glabro, subviscoso, pallescente; stipite solido, glabro, albo; lamellis emarginato-liberis, ventricosis, ex albo carneis.

In terra sicciore, clivis apricis, inter gramina frequens, sed solitarius. Lectus in Suecia, Anglia, Batavia, Gallia.

*Descr.* Odor fortis farinæ recentis. Stipes carnosio-fibrosus, solidus, 2—3 unc. longus, 3—4 lin. crassus, lævis l. striatulus, nudus nec farinosus, albus. Pileus carnosus, e campanulato convexus, demum explanatus, lævis, glaber, viscidus, demum

longitudinaliter rimosus, margine demum striato. Color pilei varians, albidus, lutescens, lividus, cinerascens. Lamellæ primitus leviter adnexæ, emarginatæ, demum subliberæ, 3—4 lin. latæ, confertæ, ventricosæ, albæ, sporis carneæ.

Species admodum distincta, odore quam Ag. Prunuli fortiore, sed habitu Pluteis accedens. Cum mihi ignoto *Agarico repando* Bull. multa habet communia.

Tab. 91. f. 1 *Agaricum Prunuloidem* adumbrat. Color pilei in icone solito obscurior.

## CCXXVI. AGARICUS PORPHYROPHEUS Fr.

*Monogr. I. p. 473. Epicr. ed. 2. p. 190.*

*Diagn.* Entoloma pileo leviter carnosio, e campanulato explanato, repando, umbonato, lævi, fusco-fuligineo, expallente; stipite solido, e basi incrassata attenuato, nudo, purpurascenti-fuligineo; lamellis postice truncatis, fere liberis, ventricosis, griseo-rubellis.

In pratis graminosis juxta Upsaliam, autumnno.

*Descr.* Major, mollis, sed rigido-fragilis. Stipes solidus, totus fibrosus et in fibras facile rasilis, 3 unc. circiter longus, a basi incrassata (4—5 lin. crass.) æqualiter attenuatus, nudus sed impolitus, opacus, purpurascenti-fuligineus, non hygroph-

nus, licet siccus murinus, in utroque statu valde expallens, glabriusculus (accuratius vero lustratus fibrilloso-contextus), ambitu repandus et sæpe inciso-lobatus. Caro concolor, sed sicca alba. Lamellæ postice truncatæ, fere liberæ, subdistantes, 2—3 lin. latæ, distinctæ, primo griseo-albidæ, dein sporis griseo-rubellæ.

Odor nullus.

Tab. 93. f. 1 *Agaricum porphyrophæum* sistit.

## CCXXVII. AGARICUS ARDOSIACUS Bull.

*Bull. t. 348 (alia forma). Fr. Monogr. II. p. 295. Epicr. ed. 2. p. 191.*

*Diagn.* Entoloma pileo carnosulo, e campanulato convexo, obtuso, lævi, udo, chalybæo-fusco, demum cinerascens; stipite cavo, sursum attenuato, glabro, chalybæo, basi albo; lamellis liberis, confertis, ventricosis, ex albo l. griseo incarnatis.

In Suecia hic lectus est locis humidis in pinetis. Bulliardii lectus in pratis Gallia, cujus icon a meo adeo recedit, ut mei iconem addere necesse duxerim, præcipue comparationis gratia cum *Ag. madido*.

*Descr.* Statura admodum varius, semper inodorus. Stipes fistulosus cavusve, vulgo 2—3 unc. longus, 2—3 lin. crassus,

sursum leviter attenuatus, glaber, sed facile in fibras rasilis, eximie chalybæus, sed basi albus. Pileus carnosulus, e campanulato convexus, obtusus (in meis speciminibus haud depressus), 1½—2 unc. latus, lævis, glaber, udu, chalybæo-fuscus, junior nigrescens, vetustus cinerascens, sed non hygrophanus. Lamellæ liberæ, valde ventricosæ, postice attenuatæ, confertæ, ex albo l. griseo incarnatæ.

Tab. 94. f. 4 *Agarici ardosiaci* formam præbet.

## CCXXVIII. AGARICUS VIRIDANS Fr.

*Monogr. II. p. 345. Epicr. ed. 2. p. 192.*

*Diagn.* Entoloma olivaceo-virens, pileo leviter carnosio, e conico expanso, acute umbonato, lævi, viscoso; stipite cavo, æquali, glabro; lamellis leviter adnexis, confertis, incarnatis.

In silvaticis ad Reymyra Ostrogothiæ legit H. von Post, qui iconem communicavit.

*Descr.* Colore pulchre olivaceo-viridi, etiam carnis, fa-

cillime dignoscitur hæc species. Odor nullus. Stipes cavus, 2 unc. longus, 2—3 lin. crassus, glaber, tenax. Pileus 1½ unc. latus. Lamellæ admodum latæ, secedendo fere liberæ. Reliqua ut supra.

Tab. 93. f. 3 iconem *Agarici viridantis* præbet.

## CCXXIX. AGARICUS MADIDUS Fr.

*Epicr. ed. I. p. 144. Monogr. I. p. 271.*

*Diagn.* Entoloma graveolens, pileo carnosio, e campanulato expanso, obtuso, lævi, viscido, violaceo, vetusto fuligineo; stipite subcavo, fibrilloso, violaceo, basi albo; lamellis subliberis, ventricosis, albido-griseis.

Inter muscos, folia coacervata in Suecia variis locis lectus. Etiam in Helvetia.

*Descr.* Stipes carnosio-fibrosus, subcavus, 2—3 unc. longus, 3—4 lin. crassus, deorsum vulgo clavato-incrassatus, fibrillosus, apice nudus, basi alba excepta violascens. Pileus leviter carnosus, e campanulato convexus, 1—2 unc. latus, lævis, glaber,

jove pluvio madidus, subviscosus, siccus nitens, violaceus, non hygrophanus, margine tenui, inflexo, striatulo. Lamellæ leviter adnexæ, fere liberæ, aquose molles, ex albido griseæ.

Odore gravissimo, pungente, fere *Russulæ foetentis* ab omnibus Hyporhodiis differt. *Agaricus ardosiacus* inodorus, lamellis liberis et stipite glabro distinctus. Icon *Fl. Danicæ t. 2148. f. l.* sistit formam haud rite evolutam.

Tab. 91. f. 3 *Agaricum madidum* depingit.

## CCXXX. AGARICUS JUBATUS Fr.

*Syst. Myc. I. p. 196. Monogr. I. p. 272. Epicr. ed. I. p. 145.*

*Diagn.* Entoloma pileo subcarnoso, e campanulato expanso, umbonato, villososquamoso fibrillosove, murino; stipite cavo, æquali, fusciscenti-fibrilloso; lamellis leviter adnexis, secedentibus, confertis, fuligineis.

In pratis tam siccis, quam humidis. In Suecia haud rarus. In Anglia ex BERKELEY et BROOME.

*Descr.* Inodorus. Stipes carnosio-fibrosus, rigido-fragilis, primo farctus, adultus cavus, 2 unc. et ultra longus, lineam

et ultra crassus, æqualis, fusciscentis, fibrillis fuligineis vestitus. Pileus leviter carnosus, e campanulato demum explanatus, umbonatus, 1—2 unc. et ultra latus, in cute floccoso-squamosus l. fibrillosus, murinus, non hygrophanus. Caro tenuis, scissilis, concolor. Lamellæ facile secedentes, ventricosæ, primo obscure fuligineæ, dein sporis eleganter fuligineo-purpurascens.

Tab. 92. f. 1 *A. jubatum* adumbrat.

## CCXXXI. AGARICUS RESUTUS Fr.

*Epicr. ed. I. p. 145. Monogr. I. p. 273.*

*Diagn.* Entoloma pileo subcarnoso, convexo, obtuso, adpresse squamuloso fibrillosove, fusciscente; stipite æquali, molli, glabro lamellisque leviter adnexas, ventricosas, crassiusculis griseis, sporis rubellis.

In silvis ad terram, inter muscos etc. variis Sueciæ locis lectus.

*Descr.* Inodorus. Stipes totus fibrosus, primo faretus, dein cavus, 2 unc. circiter longus, lineam et ultra crassus, æqualis, extus politus, glaber, striatulus, subgriseus. Pileus carnosus, sed admodum tenuis, convexus, subobtusus, numquam umbili-

catus (licet discus ut in Leptoniis obscurior), unciam et ultra latus, totus nunc dense floccoso-squamosus, squamis adpressis obscurioribus, nunc lævigatus, longitudinaliter fibrillosus. Lamellæ fere liberae, ventricosæ, subconfertæ, griseæ, sporis rubellæ (numquam purpurascens).

Multis notis cum præcedente et sequente convenit, sed species admodum diversa.

Tab. 92. f. 2 *Agaricum resutum* sistit. Figura minor sistit typicam formam, reliquæ varietatem stipite fistuloso, elongato.

## CCXXXII. AGARICUS GRISEOCYANEUS Fr.

*Syst. Myc. I. p. 202. Monogr. I. p. 274.*

*Diagn.* Entoloma pileo subcarnoso, convexo, obtuso, floccoso-squamoso, griseo, in lilacinum vergente; stipite cavo, floccoso-fibrilloso, e pallido cæruleo; lamellis adnexas, secedentibus, ex albido carnis.

In pascuis, collibus apricis post pluvias æstivales frequens tam in Suecia, quam exteris terris.

*Descr.* Stipes totus fibrillosus, mollis, cavus, 1½ unc. longus, 2—3 lin. crassus, floccoso-fibrillosus, e pallido cærulescens, interdum totus albus. Pileus leviter carnosus, e campanulato

convexus, obtusus, numquam depressus, unciam latus, totus floccoso-squamosus, griseus, ut plurimum lilacino-tinctus, non hygrophanus, sed valde decolorans. Lamellæ ventricosæ. Reliqua ut supra.

Habitu et coloribus ad Leptonias accedit et in harum societate nascitur, sed totus mollis et stipite toto fibroso abunde distinctus.

Tab. 94. f. 1 *Agaricum griseocyanum* refert.

## CCXXXIII. AGARICUS DICHROUS (Pers.?) Fr.

*Pers. Syn. p. 343? Fr. Monogr. I. p. 273. Epicr. ed. 2. p. 194.*

*Diagn.* Entoloma pileo subcarnoso, e campanulato expanso, umbonato, squamuloso-fibrilloso, e violaceo livido-murino; stipite farcto, fibrilloso-farinoso, cæruleo; lamellis sinuato-adnexas, confertis, sporis rubello-fusciscentibus.

Ad terram in silvis prope Holmiam tantum a me lectus.

*Descr.* Habitus *Agarici terrei*, sed coloribus præcipue sporarum nullo pacto affinis. Stipes totus fibrosus, farctus, 1½ unc. longus, 1—3 lin. crassus, sursum attenuatus, fibrillis tenuibus farinaceus, sublacunosus, cæruleus. Pileus leviter carnosus,

junior campanulatus, adultus convexus planusque, umbonatus, numquam depressus, 1—2 unc. latus, siccus, squamuloso-fibrillosus, e violaceo demum livido-murinus. Lamellæ ut supra.

Sporarum colore rubello-fusciscente ab omnibus reliquis Hyporhodiis distinctissimus. *Ag. dichrous* Pers. nonnullis notis recedit, sed ad aliam speciem ducere non potui.

Tab. 92. f. 3 ad *Agaricum dichroum* spectat.

## CCXXXIV. AGARICUS SERICELLUS var. LUTESCENS Fr.

*Epicr. ed. 2. p. 194.*

*Obs.* Vulgatæ et bene cognitæ hujus speciei varietatis addimus iconem stipite fistuloso, subnudo, pileo magis regulari, convexo, lævi, lutescente; lamellis fere adnatis. Licet habitu diversa ad *Ag. sericellum* certe pertinet. Nascitur locis apricis sole infestatis, quum typica forma silvatica.

Etiam magis recedit *Ag. sericeus* Pers. *Ic. et descr. t. 6 f. 2* (non Bull.) magnitudine, pileo campanulato squamoso, stipite bulboso. Videtur species distincta.

Tab. 95. f. 3 varietatem lutescentem *Agarici sericelli* sistit.

## CCXXXV. AGARICUS PLUTEOIDES Fr.

*Monogr. II. p. 345. Epicr. ed. 2. p. 195.*

*Diagn.* Entoloma pileo leviter carnosulo, scissili, e convexo explanato, obtuso, glabrescente, hygrophano; stipite fistuloso, rigido, cuticula fibrillosa tecto, albo; lamellis adnexis, confertis, ex albo carnis.

Ad ligna putrida Abietis raro. Primus detexit H. von Post in Ostrogothia.

*Descr.* Stipes fistulosus, rigidus, 2 unc. circiter longus, 1—2 lin. crassus, æqualis, nunc rectus, nunc curvato-adscendens, albus, tactus lutescens, cuticula fibrillosa vel ex inventore subtomentosa; basis incrassata, villosa, vulgo oblique et breviter

radicans. Pileus tenuissime carnosus, scissilis, junior convexus, adultus planus, obtusus, 1—3 unc. latus, primo leviter fibrillosus, udus albido-griseus, margine fere pellucidus, siccus sordide lutescens. Lamellæ apicem versus attenuatæ.

Unica Entolomatum species epixyla et habitu Pluteorum, a quibus tamen abunde differt stipitis structura, pileo tenui scissili, lamellis emarginatis.

Tab. 91. f. 2 *Agaricum Pluteoidem* refert.

## CCXXXVI. AGARICUS ELAPHINUS Fr.

*Monogr. II. p. 296. Epicr. ed. 2. p. 195.*

*Diagn.* Entoloma pileo carnosulo, convexo, obtuso, glabro, hygrophano, margine striato; stipite e farcto cavo, firmulo, nudo, livido; lamellis postice subtruncatis, latissimis, e pallido carnis.

In pratis muscosis, silvaticis ad terram. In Smolandia detectus a Rob. Fries.

*Descr.* Odor nullus. Stipes fibrosus, e farcto leviter cavus, firmulus, 1½ unc. longus, 2—3 lin. crassus, æqualis l. leviter attenuatus, nudus sed obsolete fibrilloso-striatus, lividus, fuscens. Pileus carnosulus, sed admodum tenuis, eximie

convexus, obtusissimus, 1—2 unc. latus, lævis, glaber, udus obscure cervinus l. umbrinus, siccus pallide fuscus. Margo, qui disco decolorante colorem nativum diutius servat, striatus. Lamellæ 3—4 lin. latæ, fere triangulares l. ovatæ. Ceterum ut supra.

Characteribus ad *A. sericeum* accedit, cui vero vix affinis dicendus, jam odore nullo distinctus.

Tab. 95. f. 1 *Agaricum elaphinum* depingit.

## CCXXXVII. AGARICUS TURBIDUS Fr.

*Syst. Myc. I. p. 205. Monogr. I. p. 276. Epicr. ed. 2. p. 195.*

*Diagn.* Entoloma pileo subcarnoso, e campanulato convexo, umbonato, hygrophano, margine primo recto, adpresso, dein fisso striatoque; stipite cavo, inflato-clavato, glabro, argenteo-splendente; lamellis emarginato-liberis, albo-griseis.

In silvis sub variis formis; in Suecia passim et in pluribus vicinis terris lectus.

*Descr.* Proximis major, inodorus. Stipes carnosus, fissilis, cavus, deorsum inflato-clavatus, sursum attenuatus, 2—4 unc. longus, 3—5 lin. crassus, sæpe tortus, undulatus, glaber, siccus argenteo-lividus. Pileus leviter carnosus, e campanulato

expansus, obtuse umbonatus, 2—3 unc. latus, glaber, demum rimose incisus, e fusco lividus, margine membranaceo, striato. Lamellæ primum adnexæ, dein emarginato-liberæ, latæ, confertæ, ventricosæ, erosæ, subundulatæ, griseæ, juniores pallidiores, non pulverulentæ.

Species admodum distincta, pilei margine primitus recto a typicis Entolomatibus recedens.

Tab. 93. f. 2 ad *Agaricum turbidum* pertinet.

## CCXXXVIII. AGARICUS NIDOROSUS Fr.

*Epicr. ed. 2. p. 196. Monogr. I. p. 278.*

*Diagn.* Entoloma pileo carnosio-membranaceo, e convexo expanso, subdepresso, glabro, hygrophano, sicco sericeo-nitente; stipite farcto, æquali, glabro, albo-pallescens, apice albopruinoso; lamellis emarginato-liberis, latis, subdistantibus, pallido-incarnatis.

In nemoribus frondosis circa Upsaliam pluries lectus; etiam in Anglia, Gallia.

*Descr.* Odor fortis alcalinus, interdum vero obsoletus. Stipes fere solidus, 2—3 unc. longus, 1—2 lin. crassus, om-

nino æqualis, lævis, glaber, albopallescens, apice albopruinosus. Pileus submembranaceus, e laminis duabus tenuibus compaginatus, scissilis, e convexo planus demumque sæpe concavus et difformis, 3 unc. usque latus, rimosus, fragillimus, omnino glaber, udus cervino-cinereus, siccus lividus, sericeo-nitens. Lamellæ 3 lin. et ultra latæ, fragiles, interdum undulato-flexuosæ.

Tab. 94. f. 3 sistit *Agarici nidorosi* formam.

## CCXXXIX. AGARICUS SPECULUM Fr.

*Epicr. ed. I. p. 148. Monogr. I. p. 278.*

*Diagn.* Entoloma e pallido candicans, pileo carnosio-membranaceo, e convexo expanso, glaberrimo, hygrophano, sicco splendente, margine infracto, striato; stipite fistuloso, æquali, fragillimo, striato; lamellis emarginatis, ventricosis, distantibus, albo-carneis.

Inter gramina pingua; etiam locis ramentis ligneis stercoreata.

*Descr.* Species variabilis, sed colore sicci candicante splendente mox distincta, inodora, sæpe cæspitosa. Stipes fistulosus, 2—3 unc. longus, 2 lin. circiter crassus, glaber, junior teres, demum sæpe compressus, nitens. Pileus fere membranaceus, e membranis duabus scissilibus compaginatus, primo convexus,

mox planus et demum depressus, 1—2 unc. latus, disco sæpe obtuse umbonato, glaberrimus, udus aquose l. stramineo-albus, siccus argenteus absque facie sericea. Margo tenuis, infractus, sæpe flexuosus, pellucido-striatus. Lamellæ leviter adnexæ, emarginatæ, 2—4 lin. latæ, breviores angustiores.

Duplicem legimus formam. Primaria subcaespitosa, tenuior, pileo repando, obtuso, quam *Batt. t. 20. f. D. E.* bene refert; altera solitaria, firmior, pileo regulari, circa umbonem obtusum depresso. Hanc sistit icon nostra.

Tab. 95. f. 2 *Agarici Speculi* formam majorem adumbrat. In museo Holmiensi insuper servantur icones *Agarici Placentæ, elodis, Batschiani, clypeati, rhodopolii.*

## XIII. CLITOPILUS. Lamellæ decurrentes, reliqua Entolomatum.

## CCXL. AGARICUS PSEUDO-ORCELLA Fr.

*Monogr. II. p. 296. Epicr. ed. 2. p. 198.*

*Diagn.* Clitopilus pileo carnosio, e convexo explanato depressove, lævi, fuscescente, sed sericeo-canescente; stipite solido, curto, æquali, extus intusque fusco-cinereo; lamellis decurrentibus, latis, distantibus, albidis.

In collibus apricis, sterilibus autumno seriore lectus ad Upsaliam.

*Descr.* Odor vix notabilis. Stipes carnosus, solidus, firmus,  $\frac{1}{2}$ —1 unc. longus, 2—3 lin. crassus, æqualis, extus intusque pallide fusco-cinerascens. Pileus carnosus, e convexo

explanatus, demum subdepressus,  $1\frac{1}{2}$ —2 unc. latus, firmus, interdum leviter repandus, lævis, fuscescens, sed micore sericello obducto canescens. Lamellæ vere decurrentes, distantes, tenues, cinerascenti-albæ. Caro firma, sordide alba.

Medius inter *A. Orcellam* et *popinalem*, sed odore obsoleto, pileo micore canescente, lamellis distantibus facile distinctus.

Tab. 96. f. 2 ad *Agaricum Pseudo-orcellam* citanda.

## CCXLI. AGARICUS POPINALIS \* FIRMATUS Fr.

*Diagn.* Clitopilus pileo carnosio, compacto, inæquali, subrepando, glabro, extus intusque umbrino; stipite solido, æquali, nudo, concolore; lamellis longe decurrentibus, confertis, obscure griseis.

Forma typica *A. popinalis* in Scaniæ pratis vulgaris; ab hac insigniter differt subspecies *firmata*, hoc loco oblata, nuperius circa Upsaliam lecta.

*Descr.* Odor fortis, gratus farinae recentis. Totus fungus extus intusque umbrino-fuscus. Stipes solidus, 1—2 unc. longus, 2—4 lin. crassus, æqualis, interdum curvato-adscendens,

glaber, pileo concolor l. pallidior. Pileus præcipue in disco compacte carnosus, firmus, convexus, sæpe gibbus, 2 unc. latus, lævis, glaber, opacus, passim guttato-maculatus, non hygrophanus. Lamellæ lanceolatae, tenues, vere decurrentes, griseæ.

*Agaricus popinalis* typicus a subspecie *firmata* differt pileo tenui, subcarnoso, flaccido, stipite farcto et colore cinereo, ut speciem distinctam facile censes, sed odor et omnes qualitates communes nec desunt formæ mediæ.

Tab. 96. f. 1 sistit *Agarici popinalis* subspeciem *firmatam*.

## CCXLII. AGARICUS UNDATUS Fr.

*Epicr. ed. I. p. 149. Monogr. I. p. 281. Berkl. et Brom. n. 1000.**A. hirneolus Secr. n. 606.*

*Diagn.* Clitopilus pileo subcarnoso, profunde umbilicato, undulato, fuligineo-cinereo, expallente, sicco sericello, opaco; stipite e farcto cavo, brevi, concolore; lamellis longe decurrentibus, tenuibus, obscure cinereis, sporis rubiginosis.

In clivis graminosis, ad viarum latera haud infrequens, jam æstate.

*Descr.* Præcedentibus longe minor et tenuior, inodorus. Stipes totus fibrosus nec cartilagineus, vix uncialis, sæpe brevissimus, 1 l. raro 2 lin. crassus, fragilis, inæqualis, passim com-

pressus, basi subattenuatus, albo-villosus. Pileus tenuis, fragilis, profunde umbilicatus, interdum infundibuliformis, inæqualis, undulatus,  $1\frac{1}{2}$  unc. circiter latus, exstrius, expallens (non hygrophanus) et siccitate sericellus, opacus, fuligineo-cinereus. Lamellæ haud confertæ, distinctæ, 2 lin. latæ, integerrimæ.

Species distinctissima, sporis rubiginosis a reliquis Clitopilis ad Claudopodes recedens.

Tab. 96. f. 4 *Agaricum undatum* proponit.



## CCXLIII. AGARICUS CANCRINUS Fr.

*Epicr. ed. I. p. 150. Monogr. I. p. 281.*

*Diagn.* Clitopilus pileo submembranaceo, convexo, umbilicato, demum expanso, lævi, flocculoso, dilute incarnato-albo, expallente subalutaceo; stipite e farcto fistuloso, tenaci, curto, glabro, albo; lamellis decurrentibus, distantibus, ex albo incarnatis.

Locis graminosis, pinguibus et ad latera viarum; lectus in Suecia, Anglia, Gallia.

*Descr.* Parva, pulchella, inodora species. Stipes junior farctus, adultus fistulosus, uncialis, 1—2 lin. crassus, æqualis l. minorum sursum incrassatus, nunc rectus, nunc adscendens,

interdum compressus, albus, basi villo albo terram conglobante. Pileus uncialis, tenuis, submembranaceus, primo convexus, margine involuto, dein planiusculus, umbilicatus, difformis demumque rimoso-diffractus, exstrius, flocculoso-lævigatus, e dilute incarnato-albo expallens alutaceo-albus, non hygrophanus. Caro haud scissilis, alba, ad lamellas hyalina. Lamellæ decurrentes, distantes, distinctæ, crassiusculæ, postice latiores, 1½ lin. latæ, juniores arcuatæ, in pileo explanato rectæ.

Tab. 95. f. 4 *Agaricum cancrinum* illustrat.

## CCXLIV. AGARICUS ANGUSTUS Pers.

*Pers. Syn. p. 345. Syst. Myc. I. p. 195. Monogr. I. p. 282.*

*Diagn.* Clitopilus pileo subcarnoso, convexo-plano, subumbonato, glabro, caesio-cinereo, hygrophano, sicco sericeo-nitente; stipite e farcto cavo, glabro, albo, basi incurvo villosus; lamellis adnato-decurrentibus, confertis, ex albo incarnatis.

Ad terram, inter folia dejecta putrescentia raro. Lectus in Suecia, Germania, Helvetia.

*Descr.* Inodorus. Stipes junior farctus, senilis cavus, 2—3 unc. longus, 3 lin. crassus, æqualis l. sursum leviter attenuatus, lævis, glaber, albus, basi incurva villosa l. hirta. Pileus tenuis,

e convexo planus, umbone minuto evanescente, 1—2 unc. latus, hygrophanus, udus caesio- l. livido-cinereus, siccus expallens, sericeo-nitens. Lamellæ leviter decurrentes, 1 lin. l. parum ultra latæ, confertæ, primum albæ, dein incarnatæ.

Vegetandi modo et coloribus accedit ad *A. hydrogrammum* et *rhodopolium*, sed notis datis clare distinctus.

Tab. 96. f. 3 ad *Agaricum angustum* referenda.In Museo Holmiensi insuper servantur icones *Agarici Prunuli, Orcellæ, vilis.*

## XIV. LEPTONIA. Rhodospori. Stipes cartilagineus. Pilei margo incurvus. Lamellæ adnexæ.

## CCXLV. AGARICUS PLACIDUS Fr.

*Epicr. ed. 2 p. 201.*

*Diagn.* Leptonia pileo carnosulo, e campanulato convexo, exstrio, fibrilloso-squamoso, typice griseo cærulescente, disco villosus obscuriore; stipite farcto, glabro, atró-cyaneo, apice albo-pruinoso et (sub lente) nigro-punctato; lamellis adnexis, latis, albidis.

Ad et juxta truncos Fagi; in Suecia media lectus in Betula pileo contigue villosus, cæruleo.

*Descr.* Stipes cartilagineus, farctus, demum sursum subcavus, 2—3 unc. longus, lineam crassus, æqualis, admodum

rigidus, glaber, sed apice albopruinosus et sub lente nigropunctatus, obscure cæruleus. Pileus carnosomembranaceus, uncialis l. parum ultra; reliqua ut supra. Color pilei variabilis, normaliter griseus, in violaceum vergens vel albidus, squamis obscurioribus. Lamellæ postice latissimæ, sed tantum adnexæ, confertæ, planæ, albidæ, acie concolore.

Tab. 97. f. 1 ad *Agaricum placidum* pertinet, sed color pilei haud solitus. Cfr. descriptionem.

## CCXLVI. AGARICUS LAPPULA Fr.

*Epicr. ed. 2. p. 202. Monogr. I. p. 285.*

*Diagn.* Leptonia pileo carnosulo, e convexo plano, umbilicato, exstrio, griseo, fibrillis brevibus erectis in umbilico obscuriore stipatis muricato-punctato; stipite fistuloso, striatulo, lilacino-fusco, apice nigropunctato; lamellis adnatis, latis, confertis, ex albido rosellis.

Inter folia decidua in fagetis serotinus, haud frequens. Lectus in Suecia, Anglia, Gallia.

*Descr.* Inodorus. Stipes admodum fistulosus,  $1\frac{1}{2}$ —2 unc. longus, 1—2 lin. crassus, æqualis, sat tenax, sub lente striatus et superne nigro-punctatus, fusco-lilacinus l. obscure purpureus,

basi albo-villosus. Pileus leviter carnosus, hemisphæricus, dein planiusculus, 1— $1\frac{1}{2}$  unc. latus, primitus flocculoso-mollis, adultus fibrillis erectis umbilicum versus stipatis, nigrescentibus muricellatus, quare discus obscurior pileusque griseus, nigropunctatus apparet. Lamellæ primum adnatæ cum denticulo decurrente, adultæ affinium more secedentes, planæ, latissimæ (fere ovatæ), confertæ, distinctæ, albogriseæ.

Tab. 97. f. 2 *Agarici Lappulæ* pulchram formam depingit.

## CCXLVII. AGARICUS ÆTHIOPS (Scop.) Fr.

*Epicr. ed. I. p. 152. Monogr. I. p. 286.*

*Diagn.* Leptonia pileo carnosulo, plano-depresso, exstrio, nitido, e nigro fuligineo, glabro vel innato-fibrilloso-virgato; stipite subfarcto fistuloso, tenui, glabro, fusco-nigricante, sursum nigro-punctato; lamellis adnatis, albidis, acie concoloribus.

Locis graminosis apricis, sæpe in societate *A. serrulati*, frequens sed parcius obvius.

*Descr.* Stipes medulla farctus, dein fistulosus,  $1\frac{1}{2}$ —2 unc. longus, vix lineam crassus, gracilis, glaber, fusco-nigricans, sursum punctis nigris scaber. Pileus leviter carnosus, plano-depressus sed non umbilicatus,  $\frac{1}{2}$ —1 unc. latus, fibrilloso-virgatus,

glaber tamen, e nigro fuligineus, junior exsiccatu nitenti-niger, non hygrophanus. Lamellæ adnatæ, sed secedentes, nunc lineares, nunc ventricosæ. Proximus *Ag. serrulato*, sed differt umbilici defectu, lamellis numquam cyanescentibus, acie concoloribus.

Synonyma dubia. *A. æthiops* Scop. Ann. Hist. Nat. IV. p. 147 plurimis notis convenit. *A. Nigrella* Pers. huc ducerem, nisi lamellæ decurrentes. Hac nota fretus ad *A. atridem* duxit WEINMANN.

Tab. 97. f. 3 *Agarici æthiops* formam tenuiorem sistit.

## CCXLVIII. AGARICUS AQUILUS Fr.

*Syst. Myc. I. p. 209. Epicr. ed. I. p. 154. Monogr. I. p. 288.*

*Diagn.* Leptonia pileo submembranaceo, convexo-plano, umbilicato, striatulo, subvirgato, spadiceo; stipite farcto, brevi, subfibrilloso, epunctato, fusco, sursum incrassato; lamellis sinuato-adnexis, latissimis, subdistantibus, ex umbrino purpurescentibus.

Locis udis ad lacuum litora plurimis locis nuperius lectus in Suecia.

*Descr.* Species admodum a reliquis recedens. Stipes farctus, interdum apice cavus, uncialis, deorsum leviter attenuatus, lineam crassus, obsolete fibrillosus, fuscescens, absque punctis ni-

gris. Pileus tenuis, e convexo planus, profunde umbilicatus,  $\frac{1}{2}$ —1 unc. latus, nunc glaber virgatus, nunc adpresse squamulosus, striatulus, spadiceus l. fusco-umbrinus. Lamellæ profunde sinuato-adnexæ, ob latitudinem insignem convexæ, subdistantes, distinctæ, quaternatæ, ex umbrino-pallido purpurescentes, acie concolore integerrima. Lamellæ ob sinum profundum sæpe subcordatæ. In litore lacus Bolmen in hujus societate legitur forma minor *Ag. solstitialis*.

Tab. 98. f. 3 est *Agaricus aquilus*.

## CCIL. AGARICUS FORMOSUS Fr.

*Syst. Myc. I. p. 208. Epicr. ed. I. p. 154. Monogr. I. p. 289. Secr. n. 616. A. suavis Lasch n. 2 85.*

*Diagn.* Leptonia pileo submembranaceo, convexo-plano, subumbilicato, striatulo, luteo-cerino, fibrillis adpressis, squamulosis, fuscescentibus adperso; stipite e farcto fistuloso, glabro, nitido, luteo; lamellis adnatis, subdistantibus, flavo-pallidis.

In silvis, præcipue pinetis, inter muscos rarus, sed lectus in Suecia, Germania, Helvetia.

*Descr.* Stipes cartilagineus, subfistulosus, sed floccis molli-  
bus, albis primo farctus, 2 unc. longus, lineam vix crassus, æqualis, glaber, luteus. Pileus tenuis, tenacellus, e convexo

planus, leviter umbilicatus, unciam latus, striatus, luteo-cerinus, squamulis fibrillisve fuscescentibus l. fuligine quasi adpersus. Lamellæ adnatæ, dente decurrentes, subdistantes, flavo-pallidæ, dein sporis incarnatæ, acie integerrima concolore.

Species elegans, sequentibus admodum affinis, sed colore laeto facile distinctus. Variat tamen stipes, licet rarius, fuscescens et cærulescens.

Tab. 98. f. 1 *Agaricum formosum* refert.

## CCL. AGARICUS CHLOROPOLIUS Fr.

*Monogr. II. p. 297. Epicr. ed. 2. p. 205.*

*Diagn.* Leptonia pileo membranaceo, e convexo explanato, striato, livido, centro nigro-squamuloso; stipite fistuloso, gracili, lævi, glabro, caesio-virente; lamellis adnatis, linearibus, pallidis.

Locis graminosis silvarum; in Uplandia Sueciæ hactenus lectus.

*Obs.* Coloribus *A. exili* similis, cui hinc in *Epicr. ed. I.* subjunctus, sed notis gravioribus differt, nempe statura et forma *Ag. formosi*, a quo colore dignoscitur. Stipes firmulus, rigi-

dus, 2—3 unc. longus, lineam crassus. Pileus uncialis, disco excepto glaber, margine primo incurvo. Lamellæ 2 lin. latæ, acie concolore. Reliqua ut supra.

Plurimis rationibus convenit cum *Ag. asprello*, ut ejus varietatem censerem, nisi habitus insigniter differret nec ullos viderim transitus, licet utrumque copiose legerim.

Tab. 98. f. 2 *Agaricum chloropolium* adumbrat.

## CCLI. AGARICUS SCABROSUS Fr.

*Epicr. ed. I. p. 154. Monogr. I. p. 290.*

*Diagn.* Leptonia pileo submembranaceo, e convexo explanato, primitus umbilicato, exstrio, squamuloso, fuligineo-fusco, hygrophano; stipite farcto, apice nigro-punctato et albo-farinoso; lamellis adnatis, ventricosis, subdistantibus, griseis.

Locis graminosis in silvis circa Holmiam et Upsaliam pluries lectus.

